Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

fecerint. angusta uero est cum uoluptatibus suis repugnat. Mul-
tum tamen prodest ad hec obtinenda secretior habitatio.
et conuersatio solitaria. quia interdum per occasionem aduenienti-
um fratrum et euntium ac redeuntium frequentia abstinentie et
parsimonie frena laxantur. et per huiusmodi occasiones ueniunt
paulatim in consuetudinem et usum deliciarum. et sic interdum etiam
perfecti uiri capiuntur. Ideo denique et dauid dicebat. Ecce elon-
gaui fugiens. et habitaui in deserto. expectabam eum qui
saluum me fecit a pusillanimo. et tempestate. Postquam autem mul-
ta nobis sanctus iohannes de iactantie uicio. aliisque quam plurimis utili-
ter disseruit. ad ultimum intulit dicens. Retexam autem uobis quod
et iam nuper cuidam ex fratribus nostris acciderit. ut cautiores uos prec-
edentia exempla constituant. De quodam monacho qui a diabolo

Fuit quidam apud nos mona- illusus specie muliebri decep(tus).
chus in hac uicina heremo commanens. cui habitaculum
spelunca fuit. uir summe abstinentie. cotidianum uictum
labore manuum querens. in orationibus die noctuque persistens.
cunctisque animi uirtutibus florens. Sed hic letus successibus elatus.
confidere quasi in profectibus suis cepit. et non deo totum. sed sibimet
ipsi quod profecerat deputare. Hanc autem eius intuens diabolus
animi presumptionem. continuo temptator accedit. et laqueos parat.
Quadam namque die ad uesperam. fingit speciem decore mulieris
oberrantis per heremum. que uelud fessa pre nimio labore accedens
ad ostium spelunce monachi. lassabundam se simulans. ac fati-
gatam. intrinsecus semetipsam proicit. atque obuoluta genu-
bus uiri. ut sui misereretur exorat dicens. Nox me infelicem
in heremo comprehendit latitantem. iube me ergo requiescere in
angulo cellule tue. ne forte efficiar nocturnis bestiis
preda. At ille miserationis primo obtentu recepit eam intra
speluncam. requirensque ei causa errandi per heremum fuisse.